

Homeri et Attica vicissim comparata dictio, cum utriusque aliqua aetatis recensione.

Latino sermone explicare rem, quae Latinis opibus nata non sit, difficilius esse non ignoro, tamen cum mihi persuasum est inter cunctas humani generis linguas continuum quoddam intercedere commercium, confido, Latinis quoque verbis illud, quod graecorum est, aliquo modo posse demonstrari. Omnis haec disputatio ita est instituta, ut primum appareat gradus modusque artis, ad quem pervenerit ingenium ejus aetatis, cui illa carmina, quae Homeri inscripta sunt, debentur; deinde quantum Atticae orationis dictio declinet, et quo jure hoc factum sit. Itaque a nostro consilio alienum est, inquirere, utrum uno auctore ea carmina prodita sint, an complurium studiis orta atque a posteris congesta. Satis est, quod iis libris tanta rerum copia continetur, ut inde species totius aetatis, qua composita sunt, in animum nostrum reflectatur. Ergo dialectum epicam non dixi, primum quod ex artificiosa doctrina sumptum est, quam maxime vitare studeo in definiendo eo genere hominum, quod distinctas doctrinas ignorabat, cui et mente et sensu propius accedere videtur, qui artificiosa cuncta, tempore interjecto inventa, prorsus exuerit; tum quod vocabulum epicae dialecti falsam opinionem excitet, quasi singulis hominibus copia facta sit tam graves immutationes inferendi, quantum est discrimen inter priorem Homeri aetatem, et eam, quae magis cognita est, Atheniensium. Graviore differentias in solis poetis fuisse non puto, sed per ora omnium illius aetatis Graecorum divulgata. Namque uti in plantarum natura radicum incrementa

et foliorum explicatio praecedunt florum copiam, in quibus numerus partium, forma, ipse color praefinita sunt iis viribus, quae prius sua egerunt, simili modo e prosa oratione cujusque aetatis emergit ejusdem poetica.

Discrimen inter eas res, quas comparare instituimus, tantum non est, ut diversae linguae habeantur, idcirco dialectorum nomine, quod minora intervalla denotat, dicta sunt. Orationes, quarum plurima vocabula initio, media parte, sine discrepant, diversa quoque lingua profectae sunt, eae contra, quarum plurima vocabula, si sine differunt, initio congruunt, sive in alia discrepantia continuo aliquam aequalitatem referunt, sunt ratione dialectorum. Sane molestum negotium est, perscrutari, quibus quaeque partibus dissideant, quibus rursus conveniant; tamen fieri posse non desperat, cui persuasum est, non esse haec tam fortuito, ut nonnulli opinantur, qui contendere non dubitant, linguas propter liberum arbitrium, quod hominibus insit, casu versari, nec posse quemquam aliud plus, quam iis vocabulis, quae pro tempore valeant, in sua re uti; verum est, quae quis in suo animo agat, non posse alium consequi; at quotiescunque vertitur in eas partes corporis, quae ceteris quoque iisdem legibus natae sunt, subit iudicium; quid apud se quispiam cogitet, nihil ad me; quum vero oratio inter membra spiraculi et sensum audiendi geritur, in naturae finibus est, in quibus tangi, ex quibus continuo judicari potest. Haec dixi, ut primam viam, qua rem adgressus sim, indicem, cui accedat necesse est, quo potissimum consilio eam susceperim.

Adolescentibus nostris literae Graecorum legendae propositae sunt, primum ut res, quae iis continentur, animo percipiant, ut Homeri nativam simplicitatem, in magna rerum copia perpetuo servatam persentiant, in Atticis scriptoribus exactas rationes civitatis cognoscant, res gestas vocibus eorum, quibus peractae sunt, intelligant. Via qua accedimus sententias Homeri multis modis diversa est ab ea, qua consilia Atheniensium consequimur, quae utriusque viae discrimina, quae totidem impedimenta sunt, et vehementi odio pueris habentur, conatus sum ita comparare ut fructu, qui dudum inde percipitur, nihil imminuto, ipsa impedimenta in usum vertantur, quum occasionem conferendi adolescentibus praebeant, ut pro rudibus fragmentis fiant gradus differentiae, qui ultro ad discernendum mentem alliciunt, quo vires animi inter gratum nobilemque voluptatis sensum magnopere exercentur. Hoc meum, quod adgressus sum, contulerim cum

viro, qui in agro suo, unde frumenta redeunt, loca sterilia habet, ubi praeterea saxa impedimenta sunt, quae vivum aëris adflatum humo solisque radios arcent; saxa alia viis sternendis impenduntur, alia aedificiis; impedimenta sublata sunt, et sterilia ultro in laeta pascua mutantur, quo quidem non prohibetur, ut fruges agri eodem modo quo antea, capiat, at valde delectatur, quoniam nunc fundum olim segregatum gratis finibus in ceteras regiones prolatum et junctum contemplatur. Ne hoc quidem, quod per similitudinem dixi omnino novum est, nam illae literae in manus traduntur ipsius etiam linguae causa, cujus admirentur egregiam structuram, in qua genius Graecitatis habitabat, unde tam alta cognitione mentes imbuit, tanto patriae amore ceterisque virtutibus animos.

Quis nostrum est, quin laudet illud jam dudum inter nos institutum; at quum plurimi illam linguam vocent mortuam sive defunctam, satis declarant, se non nisi e longinquo eam intueri parco quod in memoria est lumine, et putare eam veluti fortunatam insulam, quae immenso freto se juncta sit. Quae aestimatio rei, qua animus ad elegos inclinat, nunquam mihi quidem probata fuit, sed adolescentulis persuadendum esse putavi, earundem rerum principia in nostratum oratione versari, et formarum multa saltem initia, non esse fretis dissitum illum cultum, neque alia ab humanis viribus aliena vi seclusum, contineri in humanitate, et ad unumquemque, cujus humanitatis primordia tributa sint, pertinere, non solum propinquum esse, sed vicinum etiam, et via commercii adeo conjunctum; at vicinos, quamvis et animo et corpore iisdem principiis geniti sint, suo jure quemque in suo fundo uti, neque alterum in fines alterius violenter invadere; igitur enitendum esse, ut non solum fruantur iis, quae aliarum virium opera coepta et maturata sint, sed ex perfectissimo exemplari formarum discant, nativam orationem colere. Quamquam alios etiam hoc vidisse non dubito, tamen edictas easque distinctas regulas, quibus juvenes nostri in tanta ambiguitate animi, qua mens interpretantis versatur, ab omni nativae culturae detrimento custoditi, illud consilium exsequantur, plane desidero. Primam regulam hanc censeo, communem et patriam culturam quamvis tenuem per omnes continuo partes tuendam esse, neque ullam particulam sine gravissimis malis cum alienigena quamvis perfectiori posse commutari. Simplicissimum illud Ciceronis: tantum cibi ac potionis sumendum est, ut reficiantur vires, non opprimantur, quod de vita animali, unicuique

nostrum substructa dictum est, licet vertere in vitam eam, quae ratione societatis inchoata patriae orationis praesidio servata et aucta est; quam qui partim relinquit, partim retinet, mox mente eadem patietur ac animus sentit in corpore contrariis viribus agitato. Hanc pestem a teneris mentibus defendere eorum maxime est, quibus sanctum docendi munus patria tradidit, ejus studiis auctoritatique non omnes scriptores conjunctos censeo, quos populus hodie laudat, quorum plerique pessimo exemplo vocabula diversis corporibus orta in unam sententiam conglutinare incassum conantur, quos non poteris quin offensionis impiae reos agendos putes, simulque foedi furti arguas. Potest mirum videri, quid ad illud consilium, quod Germaniae juvenes spectet, Atticae orationis comparatio faciat; cui opponere non dubito, inter omnes, quae hanc terram incoluerunt, nullam gentem tanta pietate in lingua antiquitus tradita servasse, quam Athenienses, et simul tanto acumine, per varias fortunas constanti coluisse, quod monumentis hodie etiam docent, et dum rectae orationis studium inter homines erit, in posterum docebunt. Super hac re gravissima, quam tetigi, non licet pro angusto spatio libelli tantum, ut in animo est, disserere; summam paucis concipiam; ita praecipendum est, sententiam, quam vernaculis verbis inceperint, iisdem perficiunt; nomina gentium et propria per omnes linguas communia esse; deinde a vulgari modo loquendi, qui in multis scriptis et in triviis sit, differre non esse discedere a genio linguae patriae, in qua persistat qui principia retinuerit; posse in perfectum exemplar, quod Graeco nomine munitum in pectore quisque gerat, intueri, et abstinentes ab omni invasione, quae aliena sive vocabula sive res in nativum cultum futurae pesti immisceantur, discere, iis propriis partibus, quae adsint, prudenti consilio uti, quum Graecitatis genio duce discernant, quae partes patiantur compositionem, quae contra constructionem velint impendi, quomodo sine ullo negotio tum deductis tum compositis comparari in patrio fundo possint signa rerum, quae recens proditae sint, ita coeca inaequalium partium contorsione, quae hodie tam frequens est, ut multas paginas possem iis citandis implere, juvenes Germani abstinebunt, sinceram Germaniae simplicitatem repetentes, et vivo ac salubri fonte verborum instructos taedebit barbara colluvie uti, unde brevi multo candidior procedet oratio. Quod si, quibus docendi munus traditum est, patriae legibus concordantes fecerint, tantum abest, ut in nuditatem aliquam mentes nationis nostrae incurrant, rebusque cognoscendis

ceteris Europae gentibus cedant, ut brevi tempore cunctos, quotquot in terra degunt, populos correcta oratione, quae mirum in modum rerum cognitiones promovet, collectasque servat, insigniter mehercle vincant.

Ut ipsam comparationem utriusque dictionis instituamus, certas lineas necesse est quasi substruere, quibus reliqua disputatio nitatur, et summa consilii per spatia, quibus perspicui possit et examinari, ex ordine digeratur. Namque in qualibet re graviore et communi opus est certis finibus, ut hominum ope a quotidiano et interrupto virium suarum usu decedat, et sermo eius ad perpetuam constantiam naturae, in qua cuiusque communitatis origo fundusque est, pro viribus accedat. Quam ob rem illae lineae ex ipsius rei natura singulari, quae primae magnae naturae similis cognataque est, petantur, sintque eadem quibus inde ab initio naturae genius cuique genti praesens est. Ergo in conferendis rebus, quae tam parvo intervallo distant, ut Homericae aetatis dictio et Attica, eadem rationes substructae sunt, quibus uteremur, si nobis mandatum esset; linguas, quae maxime differrent, comparare, quod est in communi utriusque lege utriusque indolem examinare et gradum definire; quam communem legem omnium, quotquot sive natae sunt, sive nascentur, quaternis hisce regulis contineri mihi persuasum habeo.

I. Prima vocabulorum conditio, in quibus modi sunt et numeri.

II. Utrorumque junctura, qua nascitur positio, quae appositione explicat sententiam.

III. Continuum per positiones commercium, quo orationes gignuntur.

IV. Elocutio, sive communicatio.

Modis communitatem quamque orditur natura, modi sine numeris jacent, numeri sine modis instabiles errant, soli modi acerbi sunt, utrisque jungendis existit grata temperatio, sunt singulares vires in communis vitae finibus degentes, iisdemque alternis cognitae.

Prima verborum conditio facta est intellectu, quem homines summa contentione mentis vix adsequimur, amplissimo consilio, quo cunctis et singulis eadem largitate provisum est. Pauca illa, quae mihi quidem in hac re innotuerunt, quorumque aliquantum in hunc libellum impendi, obvia facta sunt ratione, quae sint vivae partes vivi corporis, et potissimum, quid vocis potentia valeat ad ceteras ejusdem corporis potentias, quod in libris docendae linguae causa scriptis non eo quo necesse erat studio recognitum video; absit plane inconsultos dicere; bono consilio susceptum nego-

tium est, et defectibus habebat occasionem sequentis cujusque aetatis exercendae. Causam defectuum, quibus ars linguae docendae in prima linea, quam originem vocabulorum dixi, maxime laborare videtur, referendam esse puto ad aliam artem, quae multis seculis post ad primam divinitus datam mortalium manu inventa et elementis longe diversis composita est. Scribendi arte prodita, quibus res civilis mirum in modum adjuta et aucta est, multis impedimento fuerunt, quo minus nativum fundum verborum intelligerent, quum a vero spatio contemplandi, qui in animo audientis est, depulsi, pro vivo et amplissimo fundo scriptorum librorum inanimes paginas peterent: quo non raro factum est, ut rerum summus ordo inverteretur, quum illi libri primas partes agere putarentur, rebusque inanimis plus auctoritatis tribueretur, quam summo gradui vitae, unicuique nostrum communicatae. Artis loquendi principia repetenda sunt ex auditu, cujus penetrabilia accedunt solae naturae, quibus in voce ratio est, vestibula voces percellunt et soni; repetenda ex integra, quae conscia est legum summae naturae memoria, neque vero ex iis, quae in oculos cadunt, quae quidem ut ceteri deinceps sensus continuare possunt, at principii rationes reddere non possunt. Igitur utilitas literae scriptae ne rationem vocum, qua verba sunt, impediatur quin intelligamus et eam, quae in auditu est, cum maxima amplitudine conjunctam teneritatem. Agimus de modis numerisque inter linguae spiritum et auditum commeantibus, neque vero iis quae inter vultum et oculos moventur, infra quos habendi sunt, qui reliquas deinceps partes corporis comitantur; versamur in actione spirandi, quae ceteras ad infimam usque permeat atque regit; vitam singularem servat, vultui vivum colorem tribuit, manibus liquidam mobilitatem, pedibus denique cum agilitate conjunctam firmitatem; summa igitur telluris facultas est, quam brevissimo accessu linguae humanum arbitrium occupat.

Priscae aetatis, quae Homeri nomine continetur, hominibus admodum cognitam fuisse vim vocis ipsi comprobant usu: superabant enim omnes aequales, quorum monumenta ad nos pervenerunt, nec ab ullis posteris superati sunt, praeter Athenienses. Vocem humanam distinxit ea aetas in elementa simplicissima, et rursus apte concinnat, ut hoc mentis rationi conveniat et ipsi spiraculo corporis accommodetur, ita ut verborum eae partes, quae modi sunt, omnes eleganti habitu sint, et, quae numeri vicem agant, modis vivide socientur. Non dico illam aetatem verba sua funditus condidisse, antiquiora

sunt, et in generis conditionem referenda; at quum in communi quadam generis ruina ipsius orationis partes graviter laesae essent, saucia non abjecit, retexit inertia, et e puriore fonte vocis refinxit, duriora mollivit et fluxa firmavit; et genius Graecitatis, qui jam propriis finibus habitare vellet, singulis vocabulis tribuit eam vim, quam exigebat ratio de partibus societatis concepta; sic et satis testimonii ejusdem cum confinibus originis remansit, prohibitumque est ne prorsus a genere alienarentur, relictaque esset occasio commercium animorum cum disjunctis aliquando repetendi; attamen proprium suum locum insignem in genere humano occupare necesse fuit, qui gradus nobis una via est, qua ad vitam eorum, postquam de solo terrae decessit, accedamus, et exploremus, quae illis rationes societatis fuerint: nam nisi hoc nobis contigit, mera verba eorum pene inanes modulationes vocis sunt. Locum illum enisi comperimus carmina Homeri intuentes amplissimam speciem societatis, cujus vires modo solitariae negotium peragunt modo gravius et commune consilium conjunctae exsequuntur, qua sociali vita angustum spatium, quod inter membra et sensus nati hominis est, mirum in modum auctum et amplificatum erat, ubi multum luminis e communi rerum memoria animi haberent, multum fortitudinis e perenni virtute societatis; praeterea, quum agendi normae, quae in societate sunt, casu nimium permittant, et bona indoles inde certis legibus finitum iudicii atque imperii sanctum munus appetat, videmus illam tempestatem etiam hoc gradu auspiciis perfectae naturae duci, quum eximiae primitiae nascentis civitatis indidem in animum reflectantur; et doctrinae, quae singulas sensu captas res cernit rursusque jungit, et mentem in spem erigit cognitionis limites finibus virium naturae exaequandi praeclara initia, et admodum sana argumenta in illis hominibus reperiuntur.

Quae proxime disputata sunt, dixi ut paucis memorarem, qui rerum captus in iis hominibus fuisse videantur, quorum vocibus verba in primam Graecitatis speciem congesta sunt; etenim vis spiritu et voce instructa, consilio autem homine satis digno destituta, non perficit quod moremur; sola re significata satis digna et rationi, quae prius in silentio esset quam vocibus erumperet, satis congrua potest vocabulis auctoritas et vera gratia conciliari. Eadem via, quam apud Homerum ingressi sumus, continuo licet subsequentem aetatem intueri, quae, ut in consiliis moribusque nonnulla plane abjecit, multa refinxit, praeclara invenit, cuncta in excellentem

formam civitatis congeffit, sic etiam in fingenda oratione ab elementis omnia recensuit; et hujus rei fines, quibus origine proxima sunt miracula venustarum artium, iisdem passibus protulit, quibus rationes civiles, quibus negotia necessaria. Itaque harum dictionum collatio eo perducitur, ut stationes sint vitae unius populi, cujus maturatio per tot secula dilata et extensa esse videtur, ut tam multae causae, quarum alia aliam exciperet, ex ordine evolverentur.

Dialecti quaedam notio superiore loco prodita est, quae cognatio actum non tollitur vocabulis in altera multis funditus sublatis, multis mutatis; sed apparet inde vis promotrix per utrumque continua, et novo argumento nobis persuadetur, latere sub vocabulis potestatem summam, quae rerum dignitatem pluris faciat, magis curet, quam voce petitas formulas. In oratione ex eadem lingua uno vel aliquot seculis postea profluente per multa vocabula ita desiderantur, ut funditus exterminata putanda sint; quae fortuna linguarum, quam in sua quisque reperit, quum in ceteris quoque eveniat, non in singularum gentium inconstantia sita esse videtur, sed in communi omnium natura; sane exterminatio profundius vitam populi tangit, quam mutatio, quae inter loquendum ultra terminos declinandi particulas sive addit, sive demit, alias vocali gradu movet et in propinquum reponit, unde oritur difficillima in concordia mentium dissensio. Ad acriorem casum, quo tota veluti membra e lingua ejiciuntur, cognoscendum juvat ipse sermonis usus, honestus animus dicentis, quoties offendent quae a perfecta natura aliena sunt, quamquam vi corruptae naturae speciem aliquam veritatis mentiuntur, declinare studet: euphemismum vocant. Vocabula, quae vera cognitione et certa morum conditione nituntur, ea, quae constantes formas spatii, quas hodie ad geometriam referunt, vocali vi exhibent, diu manent, et integra posteris traduntur; sunt autem alia multa, quae agitato et fluctuanti fundo quasi innatant, ea, quae laetitia gestientes, vel libidine capti explodunt, ea quibus ultra modum dolentes laesi animi affectiones exhibere conantur, colluvies conviciorum, quibus irati utuntur, vestigia elati animi, vocabula ad inurendum infamiam iis qui munera civitatis corrumpunt; cuncta hujus generis valde caduca sunt, et quum quae supra indicata sunt, per secula integra vigeant, haec vix decennia persistunt. Quam fortunam linguarum ex industria distinctis verbis memorare volui, ut cuique persuadeatur, genium linguae fortissimum cujusque honesti tutorem esse, contra ea, quae a recto

declinent, invitum, et per tempora solum pati. Ne hoc quidem, ex ampliore spatio humanitatis depromptum, caret similitudine ejus, quod in angustiore positum est; puerili aetate animata vis multas actiones adamat, versatur in iis, infert in alios rursusque recipit, at adolescentis aetate amplius consilium, nescit unde, animum incessit, quod ut teneat necessarium videt alia prorsus amandare, alia mutare, abjecta novis compensare, simile est non idem, quippe spatia temporis intercedente genio populi nascentia majora sint necesse est, quam ea quae fiunt singularis vitae genio per partes corporis intermeante.

Sic quod multa vocabula, quibus utebatur prior aetas, posterior multa abolevit, alia refinxit, abjecta compensavit sive deductis sive compositis, in quibus utrisque uberrimus est et genuinus fons recentium rerum, non est fortuitum, neque coeco casui tribuendum, quadrat in magnos orbis temporis, quibus per vices excipiendis vita gentis eruditur atque colitur, ad altiorem gradum affertur, ubi, postquam requievit, nova consilia praesto sunt. Verum hac ampla fortuna, tam felici conditione artis, quae nobilissima parte corporis editur, colendae, non multae gentes, nedum omnes usae sunt; nam quibus viribus singularis natura in aliquo vitae gradu evehitur adhibito consilio, iisdem neglecto ruit. Geruntur praeter orationem in populis aliae etiam artes, quarum quaedam dignitatem ornatissimae orationis superant, linguae non superant, dico artem cujusque officii bene agendi, sunt genera venustarum artium, sunt, quibus victus paratur, postremum quae copiam materiae utilis congerunt, hisce multi posterius suos aetate majores vicerint, quamvis multum deminuti arte loquendi; soli Athenienses, quorum religiones non moror hoc loco, quum procedente tempore eodem modo ac ceterae nationes in reliquis artibus experientia juvante et vehementiore quotidie quaerendi victus impulsu augebantur, tum in lingua colenda aquis passibus progredientes se ipsi auxerunt usque ad Alexandrum regem, qua tempestate Atticae orationis compagine fatiscunt, nec ultra alienas impetigines arcere valent.

Adeamus tandem ipsa monumenta Homeri ejusque aequalium; leguntur verba, quorum radix offendit rationem primitivi verbi, cujus habitus vel simplex sit necesse est, vel simplicibus elementis rite congestus; *μερμεριζε, οπιπτενεις ερουκασειν κικανω*; sic quadrifariam e sanis elementis, omisso inter usum consilio, vocabula eduntur, quae extra justum habitum sunt, ejusmodi exempla in linguis rudioribus vulgatissima; pauca quidem in prima

Gracilitatis forma audiuntur, tamen coevos Homeri lingua barbaris consortes fuisse arguunt. Sane difficile est dijudicatu, iteratio ubi justa, ubi perperam fiat; quanto in rerum natura inferius quid positum est, tanto magis ad iterationem versum; quanto sublimius tanto abstinet a relegendis vestigiis. Solonis cives, quum numeri primis verbis jungendi simplicitatem perfecte intellexissent, simplici et integro noluerunt iteratam sive infractam modum substruere, itaque in primitivis plane sustulerunt, passi sunt iterationem in derivatis; *λαλεῖν, κατοῦν*, tum in rebus concretis *τέτιξ πάππος*; in nominibus gentium; *Παφλαγόνες*, in propriis *Σαφρά*. Altera iteratio est vocalium: *κρήνην λοισσόμενος*, ubi in radice est, in derivatis saepissime obvia inter radicem et terminum *αἰτιάσται, αἰτιῶντο φιλέσσε*, ubi utrumque et modi et numeri simplicitatem offendit, quos defectus, paene in ipsius patriae vita ortos Atticorum lingua non minore consilio quam gratia refinxit, non solum in primitivis, sed in derivatis in rebus concretis, *ῥέετρα, ῥεῖτρα*, etiam in propriis, nam *Ποντόνοος* esset *Ποντόνους*.

In multis vocabulis Homeri modo *ε* modo *αι* in eadem radice est, sic modo *v* modo *ov*; ita cerni potest illa multitudo: quae fine aut nulla aut liquida tantum abscissa sunt, variant: *κε-ων, κει-οντες; ξειν-οι, ξειν-ος*; at quorum fine est firmiter pars, non variant: *λεγ-ω, σεβ-ομαι; τεκος, δεπας*, nunquam inest *ει*; *τειχος*, nunquam *ε*; tum *νοσος, νοσος*; in his vocabulis propter mollem finem lingua loquentium, ut ita dicam, non satis frenata erat. Utrumque et *v* et *ι* abundabat, differunt praeterea, quod *v* valet consonantem, quem spiritum asperum grammatici dicunt, compensare, *δλος = ουλος; ὄρος = ούρος; αφηρει = απανρα*. Confer *ἡμιν = αμμιν*, ubi *μ* eodem modo compensat. Haec compensatio partis per partem, quae nihil in re agit, summo jure ab Atticis repudiata est, alia est in vocabulo *ἔνος*, unde *ενοι*, ubi *ι* quod compensat habet vim deducendi. Variatio inter *ε* et *ει*, inter *ο* et *ov* non est contraria Atticae vocalium rationi, sed in modo sive radice, quum communis sit, ne vacillet vocalis necesse est.

Vocalis *ε* tam levis est in ore veteris poëtae, ut sine ullo rerum discrimine modo in vocabulis inveniatur modo absit; vix oportet memorare, alius generis esse vocalem *ε*, quae verba in usum narrandi declinet, et augmentum vocetur.

Distraçtio geminationis verae *οῖομαι, παῖς* quo intereunt diphthongi, quae sunt gratissima elementa, in extrema parte libelli notabitur; poëtam

hoc ausum esse, si aequales ejus continuo diphthongos integras pronuntiasent, non opinor.

Carmina epica accesseramus, ut in lingua unde edita sunt, radices vocabulorum e genere traditas, nosceremus, cui additus est modus, quo postera aetas correxit, et ratio, qua fecerit; venimus inde ad intimum Graecitatis recessum quae est dispositio vocis humanae in ore Graeco facta; res sane gravis, at plenior quem quae hic possit demonstrari, ergo ad differentiam inter utramque dialectum restringemus.

Partes, quae signis *v* et *j* visui objectae sunt in oratione Latina, et in ceteris quibus ad inferiores quosque ordines delapsa est hominis oratio, creberrimae sunt, in aliis alio signo exhibitae, jam aetate Homeri abjectas, vel in aequa et justa elementa reposita videmus: *v* in *v*, vos = *ἴμεις*, vis = *βία*. Verisimile non est, hanc tribum generis humani, Graecos, inde ab initio his iniquis partibus *v* et *j* caruisse, et humanae vocis dispositionem integram habuisse, quae quum multis ceteris tum praecipue abusione vocalium *u* et *i* tam facile laedi posset; restant etiam vestigia illarum iniquitatum in carminibus Homeri, Od. V. 215 *πότνια θεά*; pronuntiatum videtur *potnja*; Il. IV. 135 *διὰ μὲν ἄρ*, quod *dja-m-men* extorserit cantor; in Sanscrita per *dj* plurima vocabula incipiunt. In eo, quod digamma Aeolicum dicunt, vestigium partis iniquae *v* haerere videtur. Utrumque *v* et *j* prorsus desunt in ore Atheniensium, cetera elementa consonantia jam apud Hom. justa sunt, quod in nulla ceterarum linguarum loquentibus contigit.

Vocalis pars *v* in uno vocabulo *ῥήμεις* offenditur nuda, in ceteris omnibus etiam Homeri lingua continuo praemittit consonantem, quarum tenuissima est ([°]), quae in *ῥήμεις* compensata est addita *μ*; in reliquis linguis saepe vocabula per nudam *v* incipiunt; hinc ergo ut in iteratis vocalibus, hic quoque ut minus cultae reliquae, Homeri lingua laborat parvis maculis, quas mox tolleret Graecae artis genius, ut distinctus a ceteris versaretur in munito et puro fonte vocalium, quae nusquam ceterum tanta copia simulque gratia ex ore humano excitatae et editae sunt; in quibus antiqua aetas, quamquam multum profecerat, plus corrigendum ingenio subsequentis aetatis reliquit, quam in consonantibus. Postquam radices sive origines verborum in utraque aetate, atque elementorum dispositio paucis collustrata sunt, pergemus ad jugationem inter modos et numeros, qui numeri per

vices modos (verborum fundos) ineunt, quibus inhabitantes incrementa capiunt, unde existit illud, quo nihil est melius, personarum commercium, quo animus honesti studiosus uno requiescit ac delectatur. In doctrina audimus conjugationem, in qua tempora et formae verbi et praeterea multa descripta sunt, quarum rerum ordinem recensere non hujus loci est. Nobis satis est contendere illa jugatione positiones oriri, quae satis magnum ambitum quo Homeri aequales cum eorum posteris comparemus, nobis praebent, qua quidem re altera disputationis pars definita est.

Positiones eo ordine, quo in culta lingua ipso ejus genio ducente mortalium animos colendi causa per gradus (vulgo tempora) constitutae esse videntur, continuo persequemur, ut ab imperante incipientes, deinde per narrantem ad eam quae futuri est, profecti, in summo gradu praesentis consistamus, secunda libelli parte defuncti.

Quum verborum origines quaeque e genere humano edita tribus haereditate accepit, tum radicum cultura unius cujusque consiliis ac viribus relicta est, quae apud Graecos jam ea tempestate, qua auctores Iliadis et Odysseae vixerunt, melius, quam apud ceteras gentes peracta erat, ut postea quum Athenienses studia in orationem conferrent, mirificus Gracci verbi ambitus per omnes gradus rite descriptus esset, tamen non deerant, quae possent emendari; ita haec altera disputatio tota versabitur in demonstranda emendatione, quam positiones per singulos gradus verborum nactae sunt Atticorum consilio et lingua.

In hac altera disputationis parte hanc viam ingrediendam putavi: omite paulum cogitare, quibus adminiculis modi (radices) in gradum (tempus) aliquem moveantur, utrum solo numero jungendo an elemento recenti interjecto, potius reputa in societate culta praeter primitivos modos, qui pauci sunt, inventos esse alios multos, ad exhibendum vitae copiam; at genius linguae quum praerit in copia sufficiente modorum paranda, non minore studio adegit animos, ut unumquemque modum colerent, quod una tantum ratione fieri poterat: necesse erat modos pro habitu dispositos per species habere, ut pro quaque specie modi in gradu sive imperantis sive narrantis etc. numeri, qui iidem divisi erant, exprimerentur elementis, quae non ad gradum quem omnes modi ineunt, sed ad speciem modi temperata essent, e. c. numerum pluralem in narrante gradu elementis usque iisdem exprimere non solum ingratissimum esset, sed inconsultum etiam; nam pro

specie modi vel angustioris vel amplioris, qui pars communis vitae est, decet numerum, qui singularem vitam exhibet, in eodem gradu variante indicio notari. Ut illas species modorum, quas in culta lingua ingenium quin fortasse distincte sciret, divisas habuit, certis lineis sejungamus, primum quaeritur, qui sint primitivi modi; videntur esse, qui nonnisi ex ipsius vocis dispositae elementis orti atque editi possint cognosci, et rem suam ita indicent, ut aliam antea nullam indicarint; contra non esse videntur primi, qui ad ipsa elementa referri nequeant, quique rem suam ita exhibeant, ut jam antea aliquam vitae partem exhibuerint. Horum, qui postea parati sunt, alii fiunt e primitivis elemento solum adjecto, aut praepositione adhibita et composita, in hoc libello deducti et deducto-compositi dicentur: secunda species; alii facti sunt e formis primorum ad vitae partes applicatis, quibus animus audientis singulares vitae partes noverat, hi habeant nomen derivati, sunt aut simplices aut compositi: tertia species, derivati; quarta, derivato-compositi; derivati existunt multi ex applicatis vocabulis, quae adverbia, adjectiva, appellativa vocantur, admittunt etiam praepositionem componendam.

Quamquam cujusque speciei modi jam in carminibus epicis leguntur, tamen nonnullae artis maculae propter corruptos modos haerebant; sunt ii, qui in habitu consonanti iterationem habebant, quum propter solam structuram arti contrariam rejicerentur ab Atticis; necesse erat, quia sublatis signis res sublata non erat, eam ex aliqua earum, quas dixi species, exprimere, si totum signum antiquarent: *ἔτετμε*, quod primae speciei est, per *ἐπέτμχε*, quod secundae est; *κίχάνω* per *κατακίχμβάνω*, *μερμέριξε* quod derivatum a *μέρος* (tertia), per *φρόντισε*. Quo intelligitur, illas modorum species tam vitales esse, ut tota membra artis rudiori aetati innata possint postea amputari, quo novis et justis renascatur ars. In aliis membris, quod propter partes inertia erant, genius cultae aetatis non illas species adibat, sed e propiore fonte elementorum sanavit, sic *ἐρνηκατέιν* non abjecit, sed refinxit ex elementis rite dispositis, ut justum esset. Ita in arte loquendi regenerandi atque sanandi vim esse intelligimus, cui subest interior ipsius vitae populi mutatio per omnia negotia potissimum civilia et sacra pertinens, qua si res quaedam antiquatur, signi cura non amplius est; confer *θεοπρομείων οἰωνοπόλος*, *ὠμοθέτησαν*. Eadem posterior aetas vitia verborum iteratis vocalibus commissa sola ratione vocalium emendavit, nam delectu alius speciei fieri non poterat. Sane gratissima reputatio est persequi et comitari genium cultioris linguae, qui

quae contra elementa peccata erant ex iisdem correxit ad unum omnia, quae tota videbantur falsa, eiecit et ex ampliore fonte, quem in speciebus modorum habebat, integris restituit. Quo facto non cessavit, sed eodem ducente ingenia subsequenter hominum pecies modorum, quibus antiqua aetas usa erat, lustraverunt, ut viderent, num alia modi specie res aptius caperetur; in hac ampla licentia, in qua haud minor opera erat, Attici multa feliciter mutaverunt, e. c. *ὀπνιέμεν* quod primae, per *γαμείν* quod tertiae est; *τίειν* per *τιμῶν*. Tum in singulis quaternis speciebus eos non fugerunt graviores offensiones, ne leves quidem defectus, in primitivis inconstans habitus modi, tum propter consonantes, tum propter vocales; *κεκάδογτο-ἴαλλον*, *ἔβαλλον*, *κεάζειν-σχιζειν*; *ἔνωμα-ἔνεμε*, in secunda: *ἐπίπλωσ-ἐπεπλεύσας*. Haec inconstantia, quum in habitu modi sita est, per gradus modorum (tempora) serpit, et eos, quorum constantia maximi momenti est, in quibus summa animi colendi potentia reposita est, incertos reddit. In deducto-compositis (quibus praepositio composita est) multum posteræ aetati corrigendum relictum erat. Quanto mentis acumine animique teneritate hujus generis modi nati sint, non oportet attentos docere, quantum memoriae compendium in iis sit indicatur vel levissima comparatione linguarum, in quibus aut prorsus desunt aut pauca initia apparent, ubi tam multae res interiores, in partibus prioris culturae contentae totis vocabulis exhibentur difficulter et magno memoriae oneri.

Modis, qui subtilibus his *εξ*, *εν* etc. deducti sint, aptius concipi interiores et intermedias motiones, quam totis vocabulis nemo non videt; at in perfecta arte loquendi non satis est, modo (verbo) in quodam gradu formato et sententiam aperienti adjicere partem distinctivam *εξ*, *εν*, *εσ*, sed composita sit modo, et per gradus eum comitetur; in sententiis Homeri saepissime avulsa a modo et huc illuc dissipata apparet praepositio; ambiguum est explicare, nam avulsa putari potest vel nondum composita; tamen hoc perinde est, quomodo explicetur, imperfectae artis est; quo pauciora adverbia in sententia sunt, eo facilius intelligitur, primum verbi res, deinde gradus, reliquae deinceps partes; illa adverbia, quae particulae vocantur, aggregatae quamvis recte et dictae et audita sint, raro cognoscuntur distincte; ergo avulsa praepositio auget impedimenta capiendi sententiam, composita juvat rem modi illico videre et gradum modi et cetera deinceps. Illam graviolem artis offensionem qua avulsa est praep. non liberiore usu poeta-

rum in carmina epica invecam esse, sed totius aetatis minore cultu verisimile est; ad quam in secunda specie commissam accedit inertia quae primitivos modos spectat, qua dictum est *ἐν, περί*; quod vulgo explicatur *ἔνεστι, περίεστι*; at est *ἐν* adverbium, et sunt exempla ruditatis, qua vocabula quae modi non sunt neque in gradum aliquem sive narrandi sive imperandi etc. moveri possunt, in oratione pro modo (verbo) obtruduntur, quo notio positionis, quae nonnisi ex aliquo gradu emergere potest, plane interit. Tam graves offensiones corrigendae erant consilio; lingua poterant emendari leviores in secunda specie admissi defectus, ad quos videtur referendum, quod Homerus inter componendum *εν-ειπειν* admiscet inutile deducendi elementum *σ*, *ἔνισπε*, quocum vocalem radice mutat, porra *κάββαλε, κάτθεσαν, κακκείοντες, καμμῦσαι*, confer *κάμμορος*; sunt contorta, non adsimilata, quo dubitatio existit, utrum secundae speciei sint an quartae; *κακόμορος* est quartae. Tot et tanta ingenii Atticae artis relictum erat in secunda specie modorum, quod ea monumentis suis recte perfecisse testantur.

In tertia specie modorum, qui non ex simplicis vocis dispositae natura deduci possunt, sed ex verbis primis jam applicatis ad singulas res; quorum multa, quoniam ex verbi gradibus orta sunt, ad eosdem revertuntur; in gradum narrantis facile aliquo indicio ex elementis sumto (*σ*) reponuntur, difficilius in gradum praesentis et imperfecti, quo in Homeri sententiis positi multum a modis primae et secundae speciei differunt, *αἰτιώνται* magis diversum a *λέγονται*, quam *αἰτιῶνται*, quamquam derivati esse videntur pleniores quam primitivi, tamen decet eos in gradus verbi reductos, quantum licet, similes esse primis; nam eadem, quae in primis potentia, at aucta in iis agit; jam supra dictum est, maximi momenti esse, et dicentem et audientem gradus verbi recte intelligere, quia in gradibus solis numeri modos inire valent, et post numeros personae quae aut dicentis aut audientis est, inde autem, quod numeri qui singularum virium indicia sunt, et personae modus ex quacunque specie petitas per vices ineunt, existit positio, quae dilatata sententiam exhibet, deinde orationem sive prosam sive poeticam, unde omnis animorum cultus, qui arte loquendi parari poterat, emanavit. Apud Homerum primo obtutu liquet, numeros et personas modis derivatis in praes. imperf. minus apte concinnatos esse, apud Atticos scriptores autem aptissime eos ineunt. In derivatis modis etiam ipsam derivandi viam, qua alii alium habitum nanciscuntur, sedulo

persequendum est: *πολεμίζειν* et *πολεμῆν* utrumque derivatum est, at diversa via, qua et elementis adjectis et accentu differunt, tamen prius dictum discrimen per omnes gradus pertinet; illud Homeri ex adj. verb. derivatum mihi videtur, alterum vero Atticum, ex dativo *πολέμῳ*.

Postremae species sunt derivato-composita, sumuntur maximam partem e civitate negotiis aucta, inde mirum non est, pauciores esse prisca aetate quam republica amplificata, tamen possunt etiam fieri momenti, quae civitatem non spectant: *ἀμοκλήσασκε*, *ἀμοθέτησαν*, *κετομέων*, adverb. adject. concretum praeposita vides; itaque etiam haec species apud Homerum expressa est; cui in gradu praesentis et narrantis imperf. numeri uti in praecedente specie minus apte juncti sunt; et via derivandi e. c. *βυσσοδομεύειν* esset apud Atticos *βυσσοδομῆν*.

Hactenus de modorum quaque specie, in qua potissimum quaesitum est, quantum conferret, ut gradus constantes essent, et rite noscerentur; priusquam de numerorum divisione in lingua Graecorum facta et adhibita loquamur, necesse est quaedam vestigia ruditatis, in carminibus epicis deprehensa, notare, quippe quibus ratio graduum maxime offensa est, quod non ad habitum modi neque ad indicia numerorum pertinent, sed falsi et corrupti gradus esse videntur; namque modis nonnullis cujusque speciei elementa intrusa videmus, unde iterativa desiderativa intensiva, verba nominata sunt (aptius positio iterativa etc.). Ut veri gradus geniti sunt cognitione singularum virium, quae cum vi communi commeatum quaeque habent, ut inter se commercium exerceant, sic ignorantia earum rerum orti sunt gradus corrupti; cujus originis sunt *ἔλασσε*, *λλαιομένη ποιπνίοντα*; iterativa apud H. frequentia, cetera autem rara. In lingua cultu Graeco confini, cui vero lucidus ordo dudum interiit, Sanscrita, creberrima sunt illa enormia. In modis a simplici specie exorsi venimus ad plenissimam speciem, quae est derivato-composita, in his, e communi vita petendis, vera plenitudo est; singulares vires in arte loquendi tam tenues sunt, ut in positione unde oritur sententia, solis numeris indicentur, ut sine nimia mora ineant modos et exeant; si vero stagnatione quadam virium singularium modis intrudantur elementa, falsa plenitudo oritur, quae mentis cognitionem et animi cultum non solum nihil juvat, sed magnopere etiam impedit: modi agenda rei, qui communes sunt, videntur esse privati, veri gradus modorum repelluntur, narrandi per iterativum, futurae rei gradus

per desiderativum; praesentis vel perfecti per intensivam; ubi inchoativus est, quæm apud H. non vidi, imperandi gradus reprimitur. In falsa illa plenitudine, qua una quæ agitur sententia, quasi silvescit, mens prohibetur quin ejus cum ceteris rationem perspiciat, qua perspecta sententiarum concordia nascitur vera oratio, quam tertiam totius linguae partem statuimus; postremo iterativa etc. animum alliciunt ad abjectam et indignam elocutionem, qua non abhorret tandem, ut ferarum voces et sonos inanes imitetur, ergo illa enormia postremam etiam totius linguae provinciam, quæ est lex elocutionis, impugnant. Has deformitates sensisse correctæ orationis Atticæ auctores probant monumentis, in quibus ne vestigium quidem illius enormitatis invenitur; nam non moror in comoedia hujus generis *γελασειω*, *οψεω* obtrudi, nimirum in corrupta aliena re ultro corrupta signa quaeruntur. Illa in gravissima re emendatio facta est veneranda mentis auctoritate et lingua, quæ, quum vitium non in ipsis modis esset, falsa solum accrementa (notas) rescinderet, et modos in sinceros et genuinos gradus reponeret, eos, qui veris rerum momentis, per hujus terræ et majorem fortasse naturam continuis, finiti essent.

Postquam illæ artis loquendi maculae a justî numeri ignorantia invecæ proxime notatæ sunt, æquum est dispositionem numerorum in secunda parte Graecorum linguae factam computare. In carminibus Homeri tam amplo et diviso fonte positiones eliciuntur, ut computanti plures species numeri appareant, sunt primitivi (activi) per omnes quatuor gradus commeantes, sunt numeri passivi qui per tres solum gradus; mediis et passivi qui per omnes gradus jungi possunt. In primis et postremis jam ætate Homeri mentem et linguam Graecam decrevisse videmus, at in secundis et mediis sive reflexivis nonnumquam dubitationem fuisse et linguae perfectæ legem offensam reperimus. Secundi numeri debent inire habitum modi, quem ineunt activi, quod etiam plerumque apud H. fit; *ἠγείροντο* autem non ex *αγειρ* - sed ex *αγερω*. sumptum; quo habitu, cum adj. verb. est, junguntur postremi numeri; *ἠγείροντο* est Att. Numeri medii in gradu aor. narrantes debent inire habitum modi, quem ineunt numeri activi in gradu aor. narrantes, at *τείροντο*, *δέσσοντο*, numeri medii apparent in habitu, ab eo, quem activi petunt, diverso; nam *τυκτ* - *οντ* - est habitus, in quo postremi passivi per quatuor gradus *σίδθητι*, *εσίδθη*, *συνδθήσεται*, *σέονται*, moventur. Praeterea in *τείροντο* non prorsus certum, quo inclinet animus utrum in

aoristi an imperfecti formulam narrandi, quod alibi quoque apud Homerum incertum; est defectus in gradibus finiendis quem omnino ne Attici quidem removerunt. Superius notatum ab Atticis continuo correctum est: *ἔτεῖξ-αυτο*, *διεσεῖσ-ατο*, numeri medii in his modis secundae speciei apparent in habitu, quem activi numeri sequuntur; modi e tertia et quarta specie proditi, monstrant habitum, in quo numeri primi (activi) apparent, valde similem illi habitui, quocum junguntur postremi (passivi) e. c. *φυτεύ-ει*, numerus est in habitu, cui adhaeret *-τ* adj. verb, et in *πε-φύτεν-ται* est similis habitus. Cum Attica ratione vitia ejecta, offensiones correctae essent, sustulerunt etiam leviores defectus, qui in delectu numeri quibusdam modis jungendi iis ab antiquis commissi videbantur; *ὄλω*, *κέων* apud H. activo numero finita; apud Xenoph. ejusque aequales mediis numeris finita leguntur; vice versa *φάτο ἰδέσθαι* H., quae postera aetate activis finita conspiciuntur; *ἴδεται* Xenoph. est = sibi praeviderit.

Tandem in secunda comparatione eo venimus, ut videamus, quid Atticorum studiosa artis industria postremum amoverit; quod tam minutum est, ut non nisi in singulis gradibus examinari possit. Versamur in tenerimis, quae in arte sunt, lineis, quas verbis dicam: delectus elementi, quod gradum notet; constantia hujus notae per totam speciem modorum vel per certum unius speciei complexum; delectus elementi, quod indicet numerum (tertia persona *), personam; constantia hujus indicii, qua pertinet per totam speciem modorum, vel per complexum unius speciei; concordia inter elementa modorum, graduum notae, indicii numeri et personae; nam incuria loquentium hae tenerrimae partes invicem se trudent, obliquant, destruunt etiam; numeri maxime in gradu praesentis laedunt formam modi; multo rarius modi, quorum natura placida est, laedunt numeros.

Positio jam supra definita est modi jugatio et numeri; numerus incitat modum, sive radicem, modus cohibet numeri impetum. Haec disputatio sterilis et obscura videatur necesse est, quod in sola positione se coercet atque continet; si positio quaeque, quas per gradus persequemur, appositione praecedente et subsequente in sententiam explicata esset, non sterilis

*) Mihi quidem videtur aptum esse personas dicere duas: loquentis et audientis, et eos duos terminos, quos tertiam personam appellant, dicere numeros; nam in modis volare, florere, fluere, indicia numeri possunt adhiberi, neque tamen personarum.

res neque obscura videretur; attamen ita non videas id, quod quaerimus, quot et quales positiones, quae origines sententiae sunt, in lingua vel sint, vel excitari possint. Numeros in lingua Graeca vidimus dispositos in genera quatuor; interdum duo vel tria genera adhibentur, e. c. ut e modo: fluere efficiantur necessariae positiones, subjuncta sunt tria genera numeri, $\rho\acute{\epsilon}\iota$ = fluit; $\rho\acute{\epsilon}\upsilon\sigma\epsilon\tau\alpha\iota$ = fluct; $\epsilon\lambda\acute{\upsilon}\theta\eta$ = fluxit; Latine fiunt tres positiones uno (activo) genere numeri; Graece positio narr. aor. fit genere passivo; positio futur. autem genere reflexivo; positio praes. demum genere activo. Hi numeri sunt genera, quod ex iis positio oritur et sententia existit, e termino, quo vocabulum dicitur infinitivus, item e numeris unde vocata sunt participia, non oriuntur sententiae, ergo primi non sunt, sed secundas partes agunt; ii numerii, qui genera sunt, per gradus imperandi, narrandi etc. adscendunt et descendunt, secundi numeri inf. et partic. comitantur. Quum modi facti sint e partibus vocis dispositae, indidem numerorum indicia sumantur necesse est; quisque facile intelligit, arte deligenda esse elementa, quibus numeri indicentur, et personae exhibeantur; quamquam res subtilis est, ut vix possit de his indiciis summatim aliquid dici, tamen argumenta in delectu indiciorum fuisse certum est: erat argumentum in ipso genere, ut numerus activus tenuiore parte vocis, passivus autem crassiore parte indicaretur; alterum argumentum erat in gradibus positionis; bini gradus imp. et narr. sibi propiores sunt, itaque numerus paene iisdem elementis in utroque exprimitur; deinde gradus fut. et praes. sibi magis confines sunt, unde numeri maximam partem iisdem indiciis exhibentur; quod maxime probatur in persona secunda, cujus rude indicium numeri reflexivi est $-\sigma\sigma$ in gradu narr. et, si non est impedimentum, etiam in imper.; at $-\sigma\alpha\iota$ in gradibus fut. et praes. Tertium argumentum erat in nota deducente vel derivante; ita in $\epsilon\pi\acute{\iota}\lambda\eta\sigma-\alpha\nu$ est $\alpha\nu$ indicium propter notam σ , in $\epsilon\pi\upsilon\gamma-\sigma\nu$ est aliud indicium. Postremum argumentum erat in ipsarum vocalium perfecta cognitione, qua Homerus multos, Attici omnes homines superaverunt.

Illud rude, quod paulo ante dictum est, indicium reflexivi numeri in persona audientis $-\sigma\sigma$, $-\sigma\alpha\iota$, jam Homerus amputare studet, at incidit in $\epsilon\sigma$, $\epsilon\alpha\iota$, quo quidem positio fit et sententia oritur, tamen arti loquendi non perfecte convenit; Attico ore nunquam in imperativa et narrante forma aor. editur $-\epsilon\sigma$; si in Attica forma obvium est $\epsilon\sigma$, non est aor., et causa est,

quod ϵ est vocalis in radice, eaque unica, e. c. $\epsilon\pi\lambda\epsilon\text{-}\sigma\nu$; in $\pi\lambda\epsilon\text{-}\chi\epsilon\text{-}\rho\epsilon\text{-}$ est ϵ vocalis radice, eaque unica; neque in η verti potest, uti ϵ in $\theta\epsilon\tau\text{-}\sigma\nu$; at in H. $\pi\epsilon\iota\theta\text{-}\epsilon\text{-}\sigma$ est ϵ non radice, quod deberet servari; mutatur in η , e. c. $\pi\epsilon\iota\theta\eta\tau\alpha\iota$; itaque pro $\pi\epsilon\iota\theta\epsilon\sigma$ potest fingi $\pi\epsilon\iota\theta\sigma\nu$, quo per veram diphthongum cum modo coit numerus; alterum ($\text{-}\epsilon\alpha\iota$) prorsus abest in oratione Att. Haec summatim de numeris dici possunt; persequamur nunc singulos gradus.

1) Positio imperandi. Secundae personae numerus activus indicatur per $\text{-}\theta\iota$ in nonnullis primitivis aor. $\delta\sigma\text{-}\theta\iota$; et praes. $\phi\alpha\text{-}\theta\iota$; etiam in deductis; ii sunt qui unam vocalem habent, simulque ea finiuntur: σ , α , η , ϵ mutabile ($\pi\upsilon\epsilon\text{-}\chi\epsilon\text{-}$ etc. habent unam vocalem, et finiuntur ea, at est ϵ immutabile); in derivatis non est $\text{-}\theta\iota$ indicium numeri activi in persona secunda. H. hoc $\text{-}\theta\iota$ intrudit in modum, qui consonante finitur: $\acute{\alpha}\nu\omega\chi\theta\iota$; debebat dicere $\acute{\alpha}\nu\omega\chi\epsilon$; indicium numeri $\text{-}\theta\iota$ mutat habitum modi eadem vi, ac si nota gradus esset, e. c. $\alpha\gamma\text{-}$, $\alpha\chi\theta\text{-}\eta\tau\alpha\iota$; in modis, qui in β , π , γ , κ finiunt, aptissimum est $\acute{\epsilon}$, quoniam hoc elemento habitus modi nihil mutatur. Si H. in derivatis modis post secundam vocalem sive σ , sive α , sive ϵ per ϵ indicat numerum activum sec. pers., non vidit in delecto indicio simplex elementum; at dicit $\theta\alpha\rho\sigma\epsilon\text{-}\iota$, non $\theta\alpha\rho\sigma\epsilon\text{-}\epsilon$, ergo cognovit ι , quod simplicius est quam ϵ ; $\eta\acute{\nu}\delta\alpha$, non $\eta\acute{\nu}\delta\alpha\text{-}\epsilon$; in $\eta\acute{\nu}\delta\alpha$ puto a produci latente ι , quod mora ex a sumenda fortasse compensari potest, υ non potest compensari macra ex a sumenda; novimus $\acute{\iota}\acute{\omega}\tau\alpha$ subscriptum, neque tamen υ subscriptum.

Numerus passivus prior et reflexivus sec. pers. est $\text{-}\epsilon\sigma\sigma$, quod in quaque specie modi ab Atticis juste contrahitur; in aor. indicium est $\text{-}\epsilon\sigma\sigma$ in solis primitivis, in deductis, e. c. $\kappa\acute{\omicron}\mu\iota\sigma\upsilon\iota$, et derivatis, e. c. $\pi\alpha\lambda\delta\epsilon\nu\sigma\alpha\iota$ illud $\text{-}\epsilon\sigma\sigma$ propter notam deducentem prohibetur. H. amputat $\text{-}\epsilon\sigma\sigma$ in $\text{-}\epsilon\sigma$, interdum $\text{-}\epsilon\nu$; $\epsilon\nu$ est vera quidem vocalium structura; tamen apud Atticos nunquam apparet $\epsilon\nu$, quod numero jungendo fieret; in $\pi\alpha\iota\delta\epsilon\nu\text{-}\epsilon\iota$ existit $\epsilon\nu$ nota deducente υ jungenda. Homeri indicium numeri reflexivi sec. pers. serpit in deductos: $\acute{\theta}\rho\sigma\text{-}\epsilon\sigma$; interdum $\acute{\theta}\rho\sigma\sigma$, ubi est $\text{-}\sigma$, quod est indicium quarti generis numerorum in persona audiente, e. c. $\acute{\eta}\rho\sigma\sigma$, $\mu\acute{\epsilon}\mu\eta\eta\sigma\sigma$; itaque H. incertus est, qua numerum reflexivum audientis personae exhibeat, utrum secundo generi ($\tau\acute{\upsilon}\pi\tau\epsilon\sigma$) conformem fingat, an quartis ($\tau\acute{\epsilon}\tau\eta\nu\sigma$); similiter dubitantem eum vidimus supra, ubi de numeris summatim dictum est, qualis modi habitus cuique numerorum generi deberet; in $\tau\epsilon\tau\epsilon\kappa\omicron\nu\sigma\tau\omicron$ vidimus illo loco numerum reflexivum

conjugatum cum habitu *τυκτ-*, qui debetur quarto generi, e. c. *τέτυκται*. Illud *ορσο* abhorret ab Att triplici ratione: 1) *ο* est iteratio in secunda syllaba; 2) quia deductum est per *σ*, debebat audiri *-αι*; 3) nota gradus *σ* propter *ρ* non licet; *περιδήσο* radices *φειδ-* est deductum in syllaba radices, uti *λιπε* e *λειπ*; deinde nota *σ* adjecta est; et postremum injusta reduplicatio; Att. est *φειδ-σ-αι = φει-σ-αι*. Numerus passivus prior in sec. pers. apud H. justo elemento jungitur modo e gradu praes. petendo; in deductis aequae est *-εσο*, atque in primitivis, quoniam nota in praes. gradum deducente non vetatur *-εσο* (in aor. vetatur nota deducente terminus *-εσο*); attamen contractio, quae est justa vocalium restructio non ubique in hoc numero bene successit Homero; legitur *-εο*, *εσ*. Numerus passivus, quartum genus, sec. pers. e. c. *ταχθητι, ἦσο* eadem ratione est apud H. et A.

Quod in carm. epicis pro formula imper. saepe obijcitur ea, quae vocatur infinitivus propter terminum, qui non habet vim numeri, nedum primitivi numeri, quo sententia oriatur, fit illa licentia, qua propinquo imponitur negotium alterius; infinitivus est pars sententiae, neque tamen positio, quae modo et numero jungendis existit. Qui H. usus sapit eandem inconditam artem, qua superiore loco vidimus *ἔνι, πέρι* pro verbis sive initiis sententiae posita; sententiam incipere, quin modo junctus sit numerus generis primitivi, est infima conditio linguae humanae, qua est Malaica. Si e gradu praesentis sententia elicitur suppresso verbo, e. c. quaeque praeclara rara, fit ex industria, ne numerus verbi a vi tempore comprehensa sumptus esse videatur. 2) Positioni arrantis. Jam tempestate Homeri vigeant in Graeca oratione duae formulae narrandi, ad quas accedebat tertia rarior e forma perfecti petenda. Primum de forma aor. Haec in Graecorum vita producta formatio plus potentiae quam positionem faciendi habet; in Germanica lingua haec forma nihil magis ipsa valet, quam incipere sententiam, quae confit eo, quod numerus primitivus modum incitat, et modus impetum numeri continet; attamen Graecae formae aoristi possunt in positione jam inchoata sive imper. sive narr. sive futur. sive praes. etiam adhiberi iis numeris, qui a rebus factis et per genera dispositis computantur, unde formae datur nomen participii, quod designat actionem alteram in vi sententiae, quae vis in primitivo numero continetur, exactam; ut haec potentia formae reservetur, fingitur, si adhibetur sententiae incipiendae, priusquam numerus primitivus jungitur, notula quaedam, quae a grammaticis dicta est augmen-

tum; attamen quanto est auctum ἤρει prae αἰρεῖ? fortasse ceperint nomen augmenti ex arte scribendi, quod vulgo haec forma apparet longior, si positionem narr. incipit; ἔνψαν una parte longior quam τίψαι; re vera est haec notula subtilissima in forma aor. distinctio inter usum formae cuique gradui communem et singularem sive narrandi. Quod praeclarum augmenti inventum antiquus poeta non ea qua dignum erat constantia pertinet, saepissime apud eum leguntur membra narrationis augmento destituta; in aliis verbis augmentum fingitur arte magis aperta, in aliis occultiore; tamen inde causa omissi augmenti reperiri non potest, cujusque fictionis exempla apud Homerum exstant; itaque videtur usus hujus subtilissimae notulae illo tempore nondum satis invaluisse, ut poetae liceret eam pro lubitu vel metri commoditate omittere, quin animos audientium offenderet. In fingendo augmento nunquam adhibitum est elementum *v*, nunquam *σ*, vel alia consonans; at saepe *ε* - saepe *ι*; tantum e natura elementorum responderi potest, verum ad omnem augmenti rationem exsequendam necesse est verba secundum quatuor species percensere, in primitivis verbis Graeca ars respicit initium vocabuli; in deductis, qui praepositione composita sunt, plerumque inter utramque partem est indicium notae, tamen ἐκάθενδε, ἡμφίει habent in priore parte; derivati, quibus addita est praepositio, e. c. προτιμῶν, plerumque habent notulam in priore parte, at non raro apud A. etiam fingitur ea inter utramque partem, uti in deductis; in composito-derivatis numquam inter utramque partem impingitur, sed continuo in vocabuli initio. Quod supra dictum est de augmento a poeta in aor. gradu omissio, idem obtinet in reliquis formulis narrandi. Si omissio notulae imperfectae artis est, tum vis augmenti intemperans, quae modum laedit, gravis offensio recte dicitur, quod factum videmus in ἔδδεις, διέσσοντο; deesse praestat quam vitare; potentia ne laedito alteram, concordia maxime opus est inter partes, quae ita conditae sunt, ut sociatae agant. Hactenus de augmento, quod in forma ad modum pertinet, neque vero ad numerum subiectum, quare eadem augmenti fictio, sive numerus activus, sive reflexivus, sive passivus subnectitur. Supersunt in hac forma dicenda numerorum indicia, et notae vel deducentes vel derivantes. Primitivi modi in gradu aor. sunt, quibus numeri, quin nota deducens adhibita sit, junguntur, ipsa artis loquendi natura in hunc usum narrandi primum conditi sunt. De indicio notae deducentis in

hac prima specie quaeri non potest, quod nulla adest, at indicia numeri activi diversa sunt pro modi fine, ubi vel vocali vel consonante excipitur numerus; ita *ἔβησαν*, *ἔμαθον*, quam in prima specie sejunctionem non pertinet H.; *βα-ν* habet signum numeri valde similem ei, quod est in *ἔμαθον*; in *βαν* una vocalis sustinet vim radice et numeri.

Nonnulla vocabula sunt, in quibus Homeri aetas dubitat, utrum primitiva an deducenda sint; *ἔδω*, *ἤμαρτε* in hac forma sunt primitiva; at *εὔδα*, *ἤμβροτες* habent notam, qua deducta videntur, unde autem sint, quaeritur; haec inconstantia nos commonet vitii, quo multae in humanitate loquendi artes laborant, quoniam alia communitatis lingua modum pro primitivo adhibet, alia autem pro deducendo, cui notam adjicere debeat, porro alia adjungit notam vocalem, alia consonantem, quia nota consonans crassior est, plurimi hanc repetunt, quo primorum modorum complexus, in quibus origo est, unde partes sententiae antecedentes, mediae succedentes fingi possunt, quotidie imminuitur; in molestam conformitatem verba degenerant, quae priscorum aures grata et certa varietate, animos copiosa vi generandi delectabant. At contineamus nos in Graeca arte; interdum legitur *ἔκετο*, alio loco *ἔξε*; item tum *ἔδερον*, tum *ἔδειραν*; in his poëtae ingenium non fingit formas, sed repetit priore aetate inter singulas ejusdem gentis linguas facta dissidia, quarum ea, quae *ἔκετο* dixerat, in gradu narrandi ortum putavit vocabulum, quod per notam *ν* in gradum praesentis duceretur: *ἔκνεται*; quae autem *ἔξε* conflaverat, in gradu praesentis putavit natum esse, unde per notam *σ* in usum narrandi verteretur; has discordiae reliquias utrum incuria et minore verborum aestimatione, quae in puerili aetate est, poëta ruminarit, an artis impotentia perinde est; egebat Graecitatis cultura, quae jam multa incrementa ceperat, in hac potissimum provincia oratorum gravitate, qua apud Atticos primi modi a deductis continua norma divisi sunt.

Deductos modos aor. recenset mens secundum notas, quibus in hunc gradum deducti sunt; nota aut vocalis est aut consonans; praeter hanc deducendi rationem, quae elementa addit est altera, quae sola reflectione movet vocabulum, vel etiam partem subtrahit; sic *ἔπιθε* et *περιδήσει* subtracto *ε* in gradum aoristi ducti sunt uti *λίπε*; indicia numerorum in hac subtrahente flexione eadem atque in primitivis consonante finitis. Grammatici, qui hanc viam ignorabant, conflant (*πιθεω*) praesentis, ubi *πειθ* - jam

est, eadem inscitia, qua ante H. gentis ejusdem linguae in gradibus contrariae erant, quarum dissidia in ἴξε et ἴνεο vidimus.

Attice: πεισ-, φει-σ- in aor. ducti sunt ratione addente, in qua indicia numerorum praeter id, quo unitas indicatur, alia sunt, quam in primitivis. Si plura adminicula deducendi sunt, non solum occasio est obliviscendi priores et potentiores vias, sed peccatur etiam interdum, quod duo simul conflantur, e. c. περιδησ-εο, in quo subtractum est ε; tum πει est pars formae perfect.; σ nota addentis rationis; talia, quamvis vitam audientis dirigant, bonae etiam honestaeque actionis causa sint, uti illud H. ἰκέτω περιδήσει ἀνδρός, tamen non desinunt in arte loquendi esse peccata. Homeri notae, quibus in aor. deducitur, usum Atticum, qui elementis σ et ι contentus est, excedunt per υ et σσ; υ est in εὔαδε apertum, in ἡμβροτες autem occultum; tironi difficile est ἡμβροτες resolvere ita ut habeat ἡμαρτες; vocali a transposita pone ρ = ημ-ρα-τ-; μ ante ρ fit βρ = ημβρα-τ-; addita υ fit αν, quod fieri potest ο; addenda υ compensatur ('); reponitur μ; ita existit ἡμβροτες per inutiles ambages. Nota σσ, in uno deducto: ἔσσει, ἔσσατο obvia, est iteratio in consonante, cui comparari licet κορην-iteratio in vocali, quum altera notae pars ex eadem ac prior natura sit, neque augeat neque minuat, inutilis et molesta plenitudo est. Illud σσ in derivatis H. saepe apparet.

Inter deductos sunt nonnulli pauci per -μ, plures per -ρ et -ι, plurimi per -ν orti, qui quum artis natura primum ut adjectiva verbalia conditi sint, in gradum aor., ubi numeri activi incedunt, deducuntur; nota est ι, non σ; at H. in κέλσας, ἄρσας fallitur delectu notae; in ορσσο bis fallitur; in elemento notae et numeri, uti in positione imperandi dictum est. Grammatici invenerunt inutile nomen verborum liquidorum, quod quatenus pateat ignorare videntur, nam θαν. βάλ. ενρ. καμ. non illo nomine concipiunt; hi in fine iisdem elementis sunt, at in usum narrandi primum artis natura conditi. Attica lingua nunquam fallitur in modis supra indicatis, continuo deducit in gradum aor. per ι, quod tum apparet (αγγελ.) tum occultum est (λεωναν.), ubi factor alter ι ex producto (α) noscendus est; indicia numerorum apud A. pone hanc notam ι eadem ac pone notam σ. Memorabile est forma αείρας H. pro ἄρας; adj. verb. est αρτ, uti καρτ.; Homeri lingua inter α et ρ inserit notam, uti inter α et ρ; ergo vocali α tribuit tenacitatem eandem ac consonanti α. A vero delectu indicii numerorum H. etiam aberrat in formis per σ deductis

βη - σ - ετο, δν - σ - ετο, nam numeri reflexivi omnes pone notam deducentem in aor. aliis indiciis sunt, quam in primitivis. Quod pone notam *ι* saepius quam pone *σ* usurpet indicia numerorum, quae in primitivis sunt, causa est, quod per *σ* magis manifesta est deductio, per *ι* autem deducti modi similiores sunt primitivis, et indicia numerorum, quae in primitivis sunt, facilius se insinuant in hos minus manifeste deductos.

Postquam Homeri defectus in nota et numeris indicati sunt, superest dicere gravissimum errorem, quo se in gradu aoristi deceptum monstrat. Leguntur *λε - λαβασθαι, πε - πιθε, κελετο, πεφνε*, hoc est prior pars ejus formationis, quae perfecti nomen habet apud gramm.; omnino aliena est a simplicitate aoristi gradus; ergo non est dicenda nota, sed abusus notae est; hi modi propter addita elementa videntur deducti, at in nullo usu tam simplices sunt quam in aor.; ergo in aor. orti sunt, neque possunt in eum duci. Accedit aliud vitium per complures linguas divulgatum, quo vocales radicum propter eam, quae formandi causa advecta est, extruduntur; in *πέφνε, κέλετο* vocales radicum evanuerunt.

Terminus, quo modus vocatur infinitivus, in ea forma, quae confinis est numeris activis, apud H. variis indiciis exhibetur: *- εειν - ειν - εμεν - εμεναι - ναι*; forma, quae confinis est numeris reflexivis, constanti indicio est, e. c. *εικασθαι*. Uti dementiae est, res, quae in sensum oculorum cadunt, pluribus sine rerum vicissitudine variatis vocabulis exhibere, ita multo magis in re tam subtili, quam in terra solus animus sive natura personae percipit; terminum pro speciei divisione, e. c. *θειναι, ιδειν, λεξαι* aliis indiciis consignare eximiae artis est, et simul cum terminis animi vicissitudines indicat; praeterea *θειμεν* et *θειμεναι* non arcte juncti sunt principio termini, quoniam ad alia etiam principia referri possunt, e. c. *θειμεν* ad *ημεεις* et *θειμεναι* ad *κορραι*. Att. in primitivis alteris *- ναι*, in alteris *- ειν* constanter receperunt.

Forma aoristi, quacum jungitur postremum genus numerorum primitivorum, e. c. *ενεχθη* (*η* quamquam est ultimum genus numeri, tamen inde oritur sententia, ergo primitivus est) in utraque aetate aequalis est, cujus causa esse videtur, quod ex adj. verb. deducitur, quo uti certo suo fundamento nititur, at indicia numeri plur. tert. varia apud H.: *- ησεν, - ην, - εν*, sine omni causa rei; quorum *Α.* primum in constantem usum converterunt.

Postremum in gradu aor. superest commemorare defectus, qui inde in orationes Atticas venerunt: *αγαγειν* est forma injus.a, propter abusum notae

perfecti, *ἔαζαι* propter augmentum non resumptum; uterque defectus inde non sublatus esse videtur, ut res diversae, quae vocabulis similibus captae erant, distinctae manerent, etiam cum artis offensione. *Χέαι* omissa *σ* vitat rem obscoenam.

Forma narrandi, quae rarius, nec aliter quam ad aliquam ejusdem sententiae narratam vel narrandam rem relata adhibetur, petitur ex ea formatione radicum multarum, quae nominata est perfectae rei, solum eae radices sive modi, quos ineunt singulares cujusvis orti generis vires, in hoc earum genere persistentes demonstratae, videntur capaces esse formae rei perfectae. Itaque priusquam de illa narrandi forma apud H. agamus, necesse est in utraque aetate formam rei perfectae comparare. Confit forma perfectae rei eo, quod modo bis finito indicium numeri conjungitur; initium vocabuli finitur adminiculo, pro structura vocabuli variante, quod nominatum est reduplicationis nomine, non in omnibus e. c. *ἤρηκα*, satis apto; in plurimis est iteratio, quam in hoc casu non solum permisit Graeca ars, sed necessariam adeo putasse videtur; nota in fine vocabuli facienda etiam ejus structurae accomodatur. Utramque modi finitionem artificiosam in carm. ep. H. jam exactam videmus, tamen nonnunquam cessat ars priscae aetatis. Il. IV. 211 *βλήμενος*, *βε-* in initio omissum est; 115 ibidem *βλήσθαι* pro re loci potest aor. med. esse; tamen addito *βε* est *βεβλήσθαι*, quod ex adj. verb. *βλητ-* deductum, cui formae non reflexivi (med.) numeri junguntur, sed numeri quarti generis. Si aor. med. habetur, referendum est ad defectum H. supra notatum, quo numeri reflexivi, qui habitum, quem activi numeri ineunt, sequuntur, cum habitu modi ex adj. verb. petito false conjuncti sunt. Il. IV. 494. Quamquam rara est haec omissio, tamen non est tacenda, multo minus licebat commenticio aor. med. rem expedire, quod gramm. fecerunt. Forma *ἔμμορε* exhibet priorem notam propter liquidam *μ* inversam, quod in liquida *ο* continuo sit. Apud A. non vidi omissum aliquid praeter quam in forma *οἶδα*, unde positiones, numero plurali jungendo existunt *ἴσασι*, *ἴστε*, ubi suppresso uno *ο* utraque nota remota est, non, uti mihi quidem videtur, sine consilio semotae sunt notae coercentes in vocabulo, quod summam mentis conditionem contineret.

Alterius notae illud indicium, quod elementum *-κ* est, saepius ab H. neglectum est; tamen in *γεγανῖα* haeret profundius discrimen in ipso habitu modi, qui apud A. est *γ-ν*. Atticorum alii in *ἔσάναι*, *τεθάναι* supprimunt

notam -*x*; alii non supprimunt, ii, qui adhibent notam, haec vocabula in ceteris modis, quos singulares vires orti alicujus generis ineunt, census videntur; iis, qui omittunt, utriusque vocabuli res latius patere et contigna iis vocabulis, quae in formam perfecti non cadunt, fortasse visa est, quare alteram saltem notam suppresserunt.

Indicia numerorum. Hic inutile esset verba secundum illas quatuor species: primitiv. deduct. etc. recensere; indicantur numeri iisdem in unaquaque specie elementis; *ισ-μεν*, suppressum est *α*, quod ad modum, non ad numerum pertinet; adsimilatum est *δ* per *σ* consonanti *μ*, ita *ἴδμεν* = *ἴσμεν*; *πέποσθε* e *πεπόνθατε* adsimilatum, quod, si quis vult suppressa vocali *α* adungere numerum (-*τε*), necesse est; ante *σ* non fertur *ν*; *εἰλήλουθμεν*, praeter *α* omissum est *ο* radici insertum, et initio *ι*; trifarium ab A. differt. Numeri reflexivi sunt iisdem indiciis ac passivi, neque est in Graeca lingua condita propria rei perfectae forma, quibus jungantur numeri reflexivi, et forma et numerus reflexivus e sententia dignoscendi sunt a passivis. Pluralis indicatur per *ν* ante *τ* inserendo, cui, si ille locus jam occupatus est consonante, substituitur *α*, quo H. etiam, quin vocabuli priore structura, a majorum ore facta, cogatur, interdum utitur e. c. *ἔατο*. Xenophontis *ἀντιτετάχαται* convincit hoc indicium non fuisse alienum ab Atticis.

Particip. *τετριγῶτα* H.: *τετριγῶτα* A. = *βασιλῆα*: *βασιλέα*. Forma, quae interjecta nota -*τ* in lingua Graeca apparet, et adj. verb. dictum est, antiquitus particip. perf. pass. fuisse videtur, forma, quae numeros acciperet non de rebus cogitandis, sed de sentiendis; testantur linguae confines, quae si non in omnibus (transitivis) tamen in plurimis illud idem *τ* vel *d* vel *th* ut notam componunt, cui jungantur numeros de rebus sentiendis sumendos: saepissime in carm. ep. illa forma hoc sensu posita legitur; ne apud Xenoph. quidem hic usus prorsus abolevit. *κονιατοὶ λάκκοι* = calce obducti, non obductiles; *οἶνος ἐφητός* = vinum coctum, non quod potest coqui. Tamen jam Homeri tempore inventa erat in Graecitate forma, quae nota -*μ-εν*- interponenda existit in solis transitivis, neque unquam numerum capit de re cogitanda, quamquam rarissime e. c. *ἐρρωμένος* adjectivum est.

Perfectae rei formae raro continua membra orationis constituunt; in formis narrandi et praesentis oratio facillime tum in singulari aliqua vi pergit, tum inter oppositas vires vertitur, ergo perfectae rei forma magis

ad cognitionem linguae pertinet, quam ad orationes faciendas, magis ad usum vitae quam mentis cultum, eodem modo forma narrandi, quae augmento addito ex illa forma oritur, sparsim adhibetur. H. augmento saepe neglecto solo numeri indicio facit formam; Od. VIII. 57 *πλήντο* prior nota (redupl.) simul augmento omissa videtur; alteram notam etiam Attici supprimunt in *ἔστασαν* etc.

Indicium numeri activi in prima pers. -ν; H. interdum deerrat in -εα, quod ex modis per -σ in aor. deductorum intrusum videtur; confer *ἦα*, *ἔα* formas narrantis in *εἶναι*.

Forma narrandi, quae de gradu praesentis, quo fingendo augm. distincta est, sumitur. Primitivi alii in consonantem desinunt, alii in vocalem, et horum nonnulli in ε, quae unica vocalis radice est et immutabilis; in prioribus indicium numeri unitatis est -ε, pluralis -ον; iisdem vel ε vel ο incipiunt personae; in alteris, vocali finitis, difficilius est indicium numerorum; in iis, qui in ε finiuntur, propter indicium ε existit et in positione quae exhibet unitatem aliquam alicujus generis; εεσ in positione, qua tacta est vita audientis; εετε in positione, qua incitata est vis complurium, quorum unus vel quisque audit, omitto duales; aliae e. c. *εχε-σν* *εχε-ομεν* per ο incipiunt; in utraque forma est iteratio. Alteram iterationem Attica ratio continuo tollit, e. c. *ἔπλει*; alteram non tollit e. c. *ἔπλεον*. Homerus priorem tum habet, tum non habet, e. c. *ἔπλεε*, *ἔπλει*. Si quis vellet in *ἔπλεον* rem enuntiare per veram vocalium structuram, esset (*ἔπλουν*) quo ε vocalis modi evanesceret, ergo in hoc casu satius visum est, modi partem servare integram, quam vocis artem anxie sequi. Tamen in *δέω* ne apud Atticos quidem discrimina dialecti prorsus remota sunt, alii illud ε mutabile ducunt, alii servant. Quod *ἔχεν* dicitur, necesse est; nam si numerus per ι indicaretur, existeret *ἔχαι*, qua forma audienti turbaretur ratio in iis quae manibus fiunt; *χέιν* alia actio est, quam *ἔχεν*.

In deduculis difficiles sunt pauci ii, qui in ε mutabili finiuntur, in quibus Attici etiam variant; alii *ἐτιθεῖ*, alii *ἐτιθεῖν*; posterior forma est magis probata; formam priorem sequeretur infinit. (*τιθεῖν*) partic. (*τιθεῖον*) Indicium numeri in deductis, qui consonante sunt finiti, paria apud H. et A.; si differunt in nota deducente, hoc in gradu praesente videndum est, unde haec forma sumitur.

Derivati alii in consonantes desinunt, alii in vocales vel *a*, vel *o*, vel *ε*, quibuscum H. interdum, quin necesse sit, per iterationem jungit numeros activos. Reflexivi numeri et priores passivi in Graeca lingua iisdem elementis exprimuntur. In primitivis λέκτο, δέκτο apud H. pars numeri angustat modum, qui Attica forma λέγετο, δέγετο integer servatur; accedit quod H. illis formis vim aoristi exhibet, quae per ἐλέξατο etc. exprimenda erat. In derivatis, qui per *a* accipiunt numeros, est apud H. -αατο -οωντο, qui per *ε*, interdum -εωντο; utrumque Atticae linguae contrarium. Formae ἦα, ἶα e vocabulo εἶναι corruptae sunt, quod ab indicio numeri prorsus lingua aberrat.

3. Positio futurae rei. Jam aetate Homeri hae formae egregia arte confectae erant, neque in nota quidquam ab Atticis mutatum est praeter quod *σ* post liquidat exemerunt e. c. κερ-ει pro κερ-σ-ει, et iteratum σσ eiecerunt e. c. εσσ-εται correctum in εσ-εται = ἔσται. Indicia numerorum, quae Homeri aetate jam inventa erant, eadem apud A. manserunt, attamen melius conjuncti sunt, inprimis numerus reflexivus audientis -εσαι amputatione egebat majori quam Homerus fecit demendo *σ*; φιλήσει H. est φιλήση A. Quod in Od. φιλήσει pro φιληθήσει legitur est vitium ne puero quidem ignoscendus. Causa, qua per tot secula, quae inde ab Homero usque ad Xenoph. exhausta sunt, tanta aequalitas in hac forma Graecae linguae obtinuerit, videtur sita in eo, quod haec forma verbali adjectivo, quasi certo fundamento nitetur; nam inde deflectitur *τ* mutando in *σ*, quod post liquidum elementum supprimitur; praeterea in nonnullis vocales restituendi sunt e. c. in χυτ-ον vocalis *ε*; deinde pro vocali *a* in σπαρτ- etc. sumitur *ε*, quae posterior est quam *a*; θε-τ-ον nota adjectivi verbal. -τ facit *ε*, nota futurae rei -σ facit *η*, θης-. In aor. pass. forma, quae ex eodem adj. verb. deflectitur, eandem inter Homerum et Atticos aequalitatem vidimus.

4. Positio praesentis rei. Primitivi alii in consonantem desinunt, alii in vocalem; in prioribus indicia activi numeri apud H. eadem ratione atque apud A.; terminus infinitivi H. variat uti in forma aor. per activum numerum narrante: -ειν, -εμεν, -εμεναι. Attice hinc una forma est -ειν. Primitivi modi, qui in vocalem desinunt, difficiles sunt; tamen omnis difficultas excutitur, si reputavimus has praesentis rei formas differre, quia alii aliter illam finientem vocalem aestimarunt; qui illam vocalem ut partem modi per se existentem putat, juxta ponit indicium numeri idem, quod adhibet

ad modum consonante finitum; qui vero modi vocalem eadem natura ortam novit atque elementum, quo numerus indicatur, cogitat de junctione, quae et rationi et auribus magis conveniat. Homeri aetate in multis vocabulis jam cognita erat via elegantioris formae, in multis autem, quae ausam dabant, nondum eo tempore cognita esse videtur melior forma; in multis vocabulis negligenter agit illa aetas, tum bene jungit modum et numerum vel concentu e. c. *φησί*, vel diphthongo; tum vero per inutiles ingratasque ambages.

In primitivis, qui in fine habent *ε*, eamque unicam vocalem, servatur haec vocalis etiam ab A., dicunt *πλε-οισι*; indicium unitatis *ει* per solum *ι* adjungunt, unde fit diphthongus; in uno *δέω* vocalis *ε* habetur mutabilis, cui substituatur *ο*, unde *δοῦμεν*; qui vero vocalem *ε* servare vellet, dicebat *δέομεν*. Aliud est, si de habitu modi quaeritur, *διδέασι* apud Xenoph. non est primitivus modus praesentis rei, sed deflectitur in hunc usum, attamen unde? puto ex adj. verbali. Summae radicis *εἶναι* habitus, cui numeri junguntur, apud H. tum *εσ-*, unde *εσ-σι*; tum *ε-*, unde *ε-ισ*. Attica ratio hic pro modo sumit nil nisi vocalem, eamque unicam, cui junguntur elementa numeri.

Multa vocabula, quae quidem primitiva sunt, quorum primus autem usus non est, ut rem suam exhibeant in gradu praesenti, deflectuntur in hunc usum notis vel postponendis vel praeponendis, interdum utrisque adhibitibus; facile est intellectu in hac subtili actione aetatem ab aetate differre, etiam in eadem aetate alium ab alio. Sane mirum est non esse majora discrimina inter H. et A. Puto tam consentientes eos esse, quod in utraque aetate certum fundamentum esset, unde deflecterent; hoc esse videtur adj. verbale. Ex adj. verb. *βατ-* fieri poterat *βασκ-* etiam *βαιν-*; *φησί* est primitiva forma, attamen *πι-φανσ-κ* e *φατ-* est deflexa forma; Attici contenti sunt illa primitiva; *δέζημι* H. explicari potest e *ζητ-* A.; *ζ=σδ*, cujus pars *δ* est apud H. iteratum; sic *σχεδ-ειν* e *σχετ-* uti *εσθ-οισι* ex *εστ* = *εδιστ* - deflexum; *ἔδοοσι* H. est primitivus modus, cujus primus usus est, ut rem suam exhibeat praesentem. Ut in hoc gradu Atticas formas defendam a crimine vitii: *πρασσ-* non est iteratum, sed pars modi *κ* est substituta elemento *σ*, quo modus deflectitur; deinde *ρωρν-* e *ρωστ-*, dempto *τ*, substituto *ν* fit *ρωσν*, unde *ρωρν*.

Derivati interdum differunt via derivandi, quin res differat, e. c.

πολεμίζειν, πολεμῆν; plerumque autem in alio habitu res est alia. Quorum finis est consonans, iis apud H. et A. eadem ratione sunt conjuncta activi numeri indicia et sunt indicia primitivorum, quod consonans nota, quae in gradum praesentis rei deducit, non impedit, quin prima indicia retineantur. At si vocabulum nota vocali in gradum rei praesentis deflectitur, sive per *α* sive per *ε* sive per *ο*, tunc antiquior aetas in *α* et *ε* nescit hac occasione uti, ut justa forma fiat; plerumque indicia ita juxta posita sunt, quasi vocalis modi et elementum numeri diversae naturae essent; certo tamen numeri hac lege nati sunt, ut cum vocali modorum efficiant formas ratione justas et auribus gratas.

Praeter quatuor hosce gradus, quos modi cujusque speciei permeant, ut numeros suscipiant, unde tanta positionum copia provisus est orationi, a genio artis loquendi duo interiores gradus conditi sunt, unde positiones existunt, quibus tenerrima pigmenta sententiae impertiuntur; nominati sunt optativa forma et conjunctiva; prior ad gradum narrandi propius accedere videtur, altera ad gradum rei futurae; cum forma imperandi habent commune, quod solum numeros primitivos accipiunt, neque terminum infiniti, neque numeros eos, quibus vocabula dicta sunt participia. Forma opt. per elementum *ι* accipiunt numeros activos, reflexivos, passivos; forma conjunct. per vocalem adsumit numeros; inde statim possumos colligere, formas opt. Homeri multo magis convenire Atticis quam formas conjunct. In omnibus formis supra inter H. et A. comparatis vidimus vel easdem vel maxime similes esse in modis, qui consonante recipiunt indicia numeri, multum vero diversas in iis modis, qui vocali adsumunt indicia numeri; elementum *ι*, quo recipit numerum forma opt., est persistens uti consonans; inde haec forma inter H. et A. eadem est. Indicio numeri differt dialectus prisca in tert. plur., ubi *α* pro *ν* saepe legitur. Uti forma opt. H. eadem atque Attica, sic usu etiam convenit.

In forma conjunct. Homeri e. c. *επι-η-σι* indicium unitatis habet elementa *-σι*; Attice est *-ι*; cetera indicia numerorum in carm. ep iisdem elementis atque in oratione Attica sunt in hac forma, at saepe non sunt illa elementa conjuncta cum simplici vocali radice, e. c. *δω-ω, θε-ω* pro *δᾶ, θεᾶ*; in *ι-ο-μεν* junctum injusto vocali gradu est. Uti conjunct. forma H. ab A. magis differt, quam opt., sic usus minus convenit; nam H. eam adhibet interdum in re, quam in Attica oratione per opt. expressam fuisse

puto; in usu conjunct. formae, qui cum relativo pronomine incipit, tum particula *τε*, tum *αυ* legitur.

In iis, quae huc usque disputata sunt, volui iis, qui Graecam linguam docendi munere funguntur, meum communicare consilium, quo singula singulis componendo putavi utriusque aetatis linguae indolem melius demonstrari adolescentulis; quo, si et modi et numeri ad elementa vocis dispositae, quae ipsis quoque insint, referantur, etiam audeant judicare de fictione rerum, quae a plurimis pro stereotypis repetuntur; quo rebus iudicatis recte factas in succum et sanguinem convertant, atque in nativa arte loquendi sapienter utantur. Tertiam et quartam partes communicandi occasionem spero eadem via futuram esse.
